



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Concio Prima. Textus Evang. Non turbetur cor vestrum. JOannis 14. cap.  
Thema: Tristitia animi, nocer animæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)



IN FESTO SS. APOSTOLORUM  
PHILIPPI ET JACOBI.

CONCIO PRIMA.

*Non turbetur cor vestrum.* Joann. 14. cap. Textus:

Nimia tristitia, animi turbatio, melancho- Thema,  
lia, quam maximè nocet corpori & ani-  
mæ, & gravissima Dei pœna est.

**C** Leantes vir Sapiens, interrogatus, quid esset tristitia? Exordium,  
Respondit, *esse animæ resolutionem*: ita Stobæus Serm.  
16. optimè dixit, tristitiam esse animæ resolutionem;  
Causam inquam immaturæ mortis, & plerumque &  
animæ æterni interitûs. Audiamus Sacram Scripturam: Textus  
*Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cor-* Scriptura.  
*di.* Prov. cap. 25. & Ecclesiasticus cap. 25. habet: *Omnis plaga, tri-*  
*stitia cordis est.* Et iterum cap. 30. *Melior est mors, quam vita ama-*  
*ra.* Unde hortatur eodem cap. *Longè pelle à te, multos enim occi-*  
*dit tristitia, & non est utilitas in eâ.* Consentit S. Paulus 2. ad Cor.  
cap. 7. *Sæculi tristitia mortem operatur.* Audiamus SS. Patres, & Patres,  
Ecclesiæ Scriptores: *Tristitia, animarum crudele tormentum est,* S. Chryso-  
*judicium omni judicio, vindictæque deterius.* Scribit S. Chryso- Sto-  
*stomus Epist. 7. ad Olymp.* Causam addit Hom. ad Populum: *Non sinit mu-*  
*in tristitiâ facilem esse rationis cursum, sed suffocat, & cum multâ* S. Gregorius  
*necessitate intus reprimis.* E *tristitiâ,* scribit S. Gregorius Papa Papa.  
lib. 31. Moralium cap. 17. *Malitia, rancor, pusillanimitas, despera-*  
*tio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita.* Tandem  
Ll 2 ipfa



*S. Thomas Aquinas.* ipsa desperatio, ut docet S. Thomas, secundâ secundâ. *Quæst. 2. Art. 4. Desperatio procedit ex nimia dejectione.* Unde scribit *S. Gregorius Nazianzenus,* in cap. 30. *Eccles. Animi maerores pro- cem senectutem, mortalibus pariunt.* Et Tertullianus habet hanc animâ cap. 52. *Magna tristitia semper nocet.* Nocet corpori animâ, ut Conceptibus deducam, Dei adjutorio prius implorari

## CONCEPTUS I.

*Confirmatio  
seu  
Deductio.*

Vocat Deus Moysen è Rubo, ac demandat: *Vade, congrega niores Israël, & dices ad eos: Dominus Deus Patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob dicens: visitans visitavi vos, & vidi omnia, quæ acciderunt vobis in Ægypto, & dixi, ut educam vos.* Exodi 43. cap. Ad hanc Dei propositionem, respondet Moyses: *Non credent mihi, nec audient vocem meam.* cap. 4. Verbis Dei non credere, vocem Dei non audire manifestum signum reprobationis est; Moyses ergo, affirmat quia Judæi, non crederent Prophetiæ, non audient verbum Dei salute Judæorum valdè dubitat, Judæos reprobatos pronuntians de, ex quâ causâ, Moyses hoc judicat? Causâ movens desumitur ex verbis Dei, & Judæis Moysi indicantis: *Vidi afflictionem meam in Ægypto, & clamorem ejus audiivi, propter duritiam eorum qui præsumunt opibus, & sciens dolorem ejus, descendi, ut liberem eos.* Exodi 3. cap. Audiens Moyses, Judæos in dolore, angore, luctu, tristitiâ, vivere in Ægypto, subinfert, non credent mihi, dolent oppressos, luctu, tristitiâ obrutos, incapaces judicat Moyses, etiam in eorum, indispósitos, qui vix oculos, minus animum ad credendum, ineptos ad Dei verbum audiendum, ac recipiendum. In similitudine, S. Chrysostomus hunc Conceptum elucidat: Sicut in locum serenum, locum permittit radiis solaribus, ut totum mundum illustrent, & irradiant; dum verò sol nubibus obfuscatur, radii lucem impediunt, & tenebras adferunt: ita quoque dolor, luctus, tristitia, est quædam nubes mentem obfuscans, & lucem cognitionis veræ, & necessariæ cognitionis pellit, ut qui eâ oppressus est, non alios erudire, nec ab aliis erudiri possit: concludit citatus S. Hieronymus ad Populum: *Non sinit enim tristitia, facilem esse rationem*



*cursum, sed suffocat, & cum multâ necessitate intus reprimat, & hoc, non dicentibus tantum, sed & audientibus accidit.*

## CONCEPTUS II.

Joann. cap. 13. inquit Jesus ad Discipulos suos: *Adhuc modicum vobiscum sum.* Zelosè interrogat Petrus: *Domine! quò vadis?* Laudo zelum: Interrogatio hæc Petri, magnam curam salutis animæ, sequelæ desiderium notat; hinc mirum, quò Christo Apostolis manifestè abitum suum indicante: Joann. 16. cap. *Nunc vado ad eum, qui misit me,* tamen ne unus Apostolorum interrogaverit: *Domine! quò vadis?* nullam curam salutis animæ, desiderium, Christum quò vadit sequi, nullum exprimunt, adeò, ut indignabundè eis hoc exprobraret Christus: *Nemo ex vobis interrogat me, quò vadis?* Quomodo factum, ut Apostoli hic, quò vadat Christus, non interrogent? nullum zelum, ac desiderium sequendi Christum demonstrent? Causam indicat sacer Textus: *Tristitia implevit cor vestrum,* Joann. 16. cap. Tristitia omnem zelum, ac desiderium, sensus, mentem, ac rationem Apostolorum obfuscauit, ut confusi, perplexi hæreant, atque consistant. Audiatur S. Chryostomus, Epistola ad Olympiam: *Apostoli triennio cum suisfessent cum Jesu, & semper eum interrogarent, quò vadis? ita extincti sunt tristitiâ Tyrannide, & toti mærore confecti sunt, ut ab eo ultra non quærerent, & ob hoc increpavit eos Christus.* Et iterùm Hom. 11. ad Populum. *Tristitia futurorum, pressum tunc ipsum cor, post ac stupidum mansit.*

## CONCEPTUS III.

Venerat ad Christum Salvatorem nostrum, adolescens quidam, quærens mediâ, ut salvus fieri queat: *Magister bone! quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Respondet magister: *Serua mandata.* Replicat adolescens: *Omnia hæc custodivi à juventute meâ. Quid adhuc mihi deest?* ait illi Jesus: *Si vis perfectum esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Matth.



19. cap. hâc salubri doctrinâ perceptâ, abiit adolescens: illo ab-  
 unte, inquit Christus ad Discipulos suos: *Amen dico vobis, quod  
 dives difficile intrabit in Regnum cœlorum; & iterum dico vobis  
 facilius est, camelum per foramen acûs transire, quam divitem  
 intrare in Regnum cœlorum.* Matth. 19. cap. Quod hic sermo Ch-  
 risti, & adolescentem abeuntem tangat, colligitur ex verbis an-  
 cedentibus sacri Textûs, qui de hoc adolescente affirmat: *Erat enim  
 habens multas possessiones.* Ergonè ex ore Salvatoris, adolescentem  
 hujus salus periclitatur, qui mandata Dei, à juventute sua col-  
 diebat? Quæ causâ periculi? Causam insinuat Sacra Scriptura  
 tato capite. *Abiit tristis.* Desuper S. Hieronymus in Catenâ: *Abiit  
 tristis: hæc est illa tristitia, quæ ducit ad mortem.* Adde dicitur  
 Hermetis, qui Discipulus fuit S. Pauli lib. 2. Mandat. 10. *Tristitia  
 omnium Spirituum nequissima est, & omnium Spiritus exterius  
 & cruciat Spiritum S.* Agnovit hoc Aaron Sacerdos, & Jacob.

#### CONCEPTUS IV.

Aaron fatetur. Quomodo potui placere Deo, mente hujus  
 Levit. 10. Et Jacob ad filios ait, Genes. 42. cap. *Deducetis meos,  
 cum tristitia in infernum.* Nimia tristitia, nimia animi  
 turbatio; & consternatio, periculosissima est salutis animæ,  
 est ad desperationem, ac æternam damnationem.

#### CONCEPTUS V.

Jonas inobediens Deo fugit, navim Tharsis petituram  
 dit, nondum navis secat æquor, cum sæva illam adoritur tem-  
 stas, & horrifona ventorum immanitas, navim exagitat, & nau-  
 navigantesque omnem indutriam, ac laborem, ne à sævioribus  
 fluctibus submergantur, impendunt; solus Jonas sopore gravi  
 titus dormiebat, quem excitatum hortantur, & ipse manus ad-  
 beat, ad Deum suum preces fundat. *Quid tu sopore desperas?  
 surge, invoca Deum tuum, forte Deus recognoscat de nobis, & nos  
 recamus.* Quid ait Jonas? utique & ipse laborabit? orabit? &  
 hoc



horum: undis tradi petit: *Tollite me, & mittite me in mare.* Jonæ cap. 1. Quid petis? o Jona! in mare si ejectus fueris, submergeris, morieris, peribis; vivus submergi, horrenda mors est: cur sibi Jonas eligit; tollite me, & mittite me in mare? An ergo Jonas quid majus, gravius, horribilius crudeli morte patitur? quia etiam mortem violentam, licet horrendam, sibi tamen suaviorem, faciliorem exoptat, & eligit? Quid est nunc illud immane tormentum, quo affligitur Jonas, quod etiam violentam mortem, præ illo sibi eligat, præoptet? est animæ tristitia, mentis extrema turbatio, & inquietudo: Audiatur Hugo Cardinalis in Jonam: *Fugit ex timore, & dormivit præ nimia tristitia.* Turbatio cordis, nimia animæ tristitia, periculosissima est animæ & certus interitus. Exemplar sit perditus Judas, Achitophel, Antiochus.

### CONCEPTUS VI.

Desperatio, damnatorum supplicium est: secundum S. Thomam autem, desperatio procedit ex nimia dejectione, tristitiâ, ac pusillanimitate, ut non æstimet, aliquod bonum sibi possibile adipisci, nec ex malo ad aliquod bonum posse relevari, nimium tristes communiter desperarunt, violentas manus sibi injecerunt, ut Achitophel, Judas Iscariotes, & centum alii, ergo nimia tristitia, animi dejectio, & conturbatio, tormentum est infernale; agnovit hoc Judas, qui vendidit, & ad necem tradidit Christum Dei Filium; vix horrendum hoc scelus, Judas adimplevit, se damnatum, perditum agnoscit: ita Matth. cap. 27. *Videns autem Judas, qui tradidit eum, quod damnatus esset.* Desuper Origenes: *Quod scriptum est: Videns Judas, quod condemnatus est, ad Judam ipsum refertur, tunc enim sensit malum suum, & intellexit se condemnatum.* Judas vivus adhuc infernum, in hac vitâ sustinuit, sensit. Quæritis unde? Respondet Origenes citatus: Ex tristitiâ: *Non sapienter tristatus est, sed suscepit abundantiore tristitiam, à Diabolo submissam, & ideo abiens, laqueo se suspendit.* Tristitia mentis crudele tormentum est, poenæ inferni, adhuc in hac vitâ prælibatio, supplicium Dei severissimum. Regem Antiochum, ob innumera scelera, vindex Deus plectere statuit: quo genere putatis? fors terra sceleratum absorbit? aut fulmen de cœlo contrivit? gravius supplicium requisivit: divina



divina Sapiencia, tristitiam, & animi perplexitatem: ita 1. Machabaeorum capite sexto: *Expavit, & commotus est valde, & incidit languorem pro tristitia: ecce pereit tristitia magna in terra illius.* Tristitia, tormentum est maximum severissimae Dei vindictae, quae execrandos plectere solet, in corpore, & animâ: uti concludit Chrysostomus Epist. 7. ad Olymp. *Tristitia, animarum crudelissimum tormentum, dolor quidam inexplicabilis, & iudicium omni iudicio, praedictaque dederis: Testem allego Cainum.*

### CONCEPTUS VII.

Cain occidit fratrem suum Abel, Genes. 4. cap. *Cum esset in agro consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Horrendum fratricidium! quali poenâ putatis vindicat Deus? fors rogo, aut rotâ, vel crudelissimo mortis genere, Deus Cainem adjudicat? Tormentum omni morte, & supplicio crudelius, dederis, Deus in Cain decernit: & quod illud? dicit Scriptura eodem capite: *Posuitque Deus Cain signum.* Et quod fuit hoc signum? respondet Eucherius in Genes. cap. 4. nempe tristitiam. *Ipsius vocatur signum, quod tremens & gemens, vagus, & profugus semper viveret.* Omni morte horribilior, atrocior est animae tristitia: tristes nempe, inquit Philo Hebraeus, de confusione linguarum *cut semper morientes, & nunquam emortuae sunt miseria, ut praesens illius, qui Cain nominatur.*

Epilogus.

Hortor ergo cum Ecclesiast: *Ne dederis in tristitiam cor tuum sed repelle eam à te.* Cap. 38. Concludo cum Simone à Cassia, Tit. 1. Cap. 13. *Nil aliud plangendum ab hominibus, quam peccatum: plangendum enim peccatum, habet materiam deplorandi. Vult Deus fletum fieri, pro Spiritualibus malis, non autem pro Corporalibus damnis.*

